

ipsum omnia eodem modo esse mentitum. Mihi uero quā omni tempore beniuolentiā in multo certaminibus p̄stitis: eandē nūc p̄stetis. Tu flagitiose Aeschines stulte nimium putasti: me iis quae in re-
pugesserim relictis ad tua maledicta totum conuerti. Non faciam certe id: non ita tumeo. Sed publica prius
perscrutabor: quae tu falso calūniatus es. De maledictis autē tuis impudentissimis: si istis placebit:
postea dicem. Crimina igitur multa sunt & grauiora: & quorum pleraque leges magnis atque ultimis ui-
dicant poenis. Haec autē accusatio eiusmodi est: ut aduersarii contumeliam: procacitatem: petulan-
tiam: atque eiusmodi simul omnia contineat. Horum tamen si maxime uera sunt: non liceat reipsum di-
gnam poenam accipere. Non enim decet auferri ius populum adeundi: nec in odii ac maliuolentiae loco istud
ponere. Non enim rectum nec iustum nec ciuile est fieri athenienses. Sed si ita pestifere in repu-
blicas uersatus sum: ut iste nunc clamitabat: legitimas poenas ascribere debuit: si delatione digna fecisse me cogno-
uerat: deferendo: si aliquid contra leges decreuisse: de hoc ipso crimine accusando: & hoc modo in
iudicium me ipsum uocare. Neque enim Ctesiphontem accusare debuit pro me. Me autē si accusare
posse arbitraretur: illum nunquam in iudicium uocasset. Atqui siquid ex his quae nunc tot uerbis narra-
bat: me recte intelligebat: in omnibus quidem iudicia sunt atque leges: quae magnas ac proprias statuunt
poenas: quarum omnium postulare me reum poterat: quod si faceret: non occulta esset aduersus me accu-
satio. Nunc autē recta atque legitima uia relicta: & iuxta res ipsas examine de industria uitato: tot iam
elapsis temporibus conuicia & iurgia colligens: me quidem accusat: hunc autē sententiam iudicium subiicit: &
quod in tota hac causa inimicitia mea praese ferat: mihi tamen ipsi obuiare non uult: sed alium quaerit: quem
poena afficiat. Profecto iudices propter caetera: quae quis pro Ctesiphonte dicere potest: hoc imprimis at-
tendendum est: quod inimicitiae nostrae par fuerat: ipsos inter nos periculum facere: non autē omnia in nos
contentione alium quaerere quem malo afficeremus. Ex his igitur quae dicta sunt faciliter intelligi
potest: uniuersa haec crimina nec iuste nec uere consistere. Volo autem singulatim ad unum quodque
eorum respondere: maximeque ad illa quae de pace ac legatione mentitus est: quae ipse cum Philocra-
te patratum est: mihi ascribens. Est uero necesse uiri athenienses: qui tunc esset rerum status memora-
re: ut ad conditionem temporis cuncta referatis. Phocesium aduersus Thebanos bellum gerentibus:
non me quidem auctorem: nondum enim tunc in re publica uersabar: uos athenienses sic eratis animati: ut
Phocesium quidem rebus: quauis iniuste pugnantium: studeretis. Thebanorum autem quibuscumque
aduersis latetaremini. Nec uos immerito id facere uidebamini. nam uictoria qua in Leuctris potiti eratis
non modeste utebantur. Peloponnesus uero omnis diuisa erat: nec uiri qui Lacedaemonios oderant: ita uale-
bant ut eos euertere possent: nec qui antea propter illos potentes fuerant: dominabantur. sed erat
apud hos atque caeteros omne dubium quoddam & ambiguum certamen. Haec autē attēdes Philippus (neque
enim erant obscura singularum ciuitatum proditoribus pecunia corruptis ad inuicem eos collide-
bat omnesque conturbabat: ac deinde ipse patrus hoc obseruans in turbationibus atque calamitatibus ali-
orum semper ipse suboriebatur. Ut uero longitudine belli afflicti: tunc quidem superbos: nunc autē mi-
seros Thebanos: manifestum erat ad nos confugituros esse: ne hoc fieret: neue haec duae ciuitates iun-
gerentur: nobis pacem: Thebanis auxilium philippus pollicetur. Quid ergo illi suffragatum est ad nos spon-
te fere nostros decipiendos? Caeterorum graecorum siue oportet maliciam siue ignauiam siue utrumque simul
dicere: qui longum ac graue bellum gerentibus uobis: idcirco pro utilitate communi: ut omnes intelligebatur fa-
cientibus: neque milites neque pecuniam neque ullum omnino auxilium prestitierant: quibus uos merito insensi:
pacem philippo non inuicti concessistis. Fuit igitur pax tunc concessa istis de causis non auctorem quidem me (ut
iste narrauit) sed horum dona atque corruptelas in ipsa pace: si quis recte consideraret: presentium malo-
rum causam esse conperiet: ut paulo post uerissime ostendam. Quod si maxime in facienda pace aliquid
fraudis interuenisse uideatur: nihil certe ad me id attinet. Nam primus eius auctor fuit Aristodemus
promptissime securus est: & seipsum addidit Philocrates agnoscens: tuus o Aeschines sodalis non meus
nec si discipularis: id mentior. Fauerunt autem uobis (qua tandem de causa dicere omitto) Eubolus &
Ctesiphon: ego autē nequaquam. Verum tamen quum ita sit: quumque ueritas horum ita pateat: in id impu-
dentiae processit ut dicere auderet: me propterquam quae pacis faciendae cum philippo auctor fuerim: etiam
prohibuisse ciuitatem: quo minus in communi collegio graecorum foret. Deinde o. Quid autem si dixerit
quispiam recte te appellabit: an tu aliquo loco? quum me eiusmodi societatem tam opportunam
impedientem uideres: grauius tulisti: aut nunquam conuestus es? aut quae nunc accusas: tunc ostendisti?
Atqui si ego corruptus a philippo hanc societatem impediebam: tibi non silere reliquum fuit: sed clama-
re atque attestari: & id ciuitati palam facere: quod nunquam fecisti: nec te unquam dicentem de his rebus
audiuit quisquam. Nec uero tunc aberat ulla legatio ad quemquam graecorum missa: sed iam pridem omnes redie-
rant: nec in hoc quicquam sinceri narrauit. Et praeterea aduersus ciuitatem calūniam maximam inducit: fal-
sam tamen. Nam si uno ac eodem tempore caeteros quidem graecos ad bellum prouocabatis: uos autē lega-
tos uestros pacis firmandae gratia ad philippum mittebatis: Eurybatis id erat facinus: non ciuitatis:
nec bonorum uirorum. Sed non est ita: non est. Nam quam ob causam in eo tempore uocauissetis ad pacem

← consistere